



2b. 15



C. 1. 0.
25

RECTOR
ACADEMIÆ VIADRINÆ
CYRIACUS

HERDESIANUS,
J. U. D. & Professor Publicus.

Idemque pro tempore
Amplissimi Juris-Consultorum Ordinis Vice-
Decanus, & honorum Designator ac Diribitor
Sollemnem panegyrim
Viris ingenio, doctrinâ, & virtute,
ornatissimis

DN. SEBASTIANO RÖBERO
FRANCOFURTANO,

&

DN. JOACHIMO KETTELBUTER,
BEROVVALDENSI,
MARCHICIS

Doctorali in utroq; jure laurea ornandis
Dicatam.

Ad diem Non. Octobr.

Omnibus & singulis reipub. literaria civibus indicit
Anno redempti orbis

M. DC. XXII.

Literis

HARTMANNIANIS.



Ominem Græci,

non epularis solum, sed & literariæ elegantiæ studiosi, & nominum rectè imponendorum architecti atque artifices, $\Phi \Omega \tau \Lambda$ à luce dixere: quod vehemens ei quædam, ut gravissimus auctor Plutarchus scripsit, insita vel potius innata sit $\xi \gamma \nu \acute{\omega} \sigma \kappa \epsilon \nu \eta \gamma \eta \gamma \nu \acute{\omega} \sigma \kappa \epsilon \sigma \tau \epsilon$, cognoscendi & innotescendi seu inclarescendi cupiditas. Omnes enim verò homines $\xi \epsilon \iota \delta \epsilon \nu \alpha \iota \Phi \acute{\upsilon} \sigma \eta \delta \acute{\omicron} \gamma \acute{\epsilon} \gamma \omicron \nu \tau \alpha \iota$, naturâ seire adpetunt, ut $\tau \alpha \mu \epsilon \iota \omicron \nu$ illud $\xi \pi \alpha \nu \tau \omicron \varsigma$ Aristoteles; trahuntur omnes laudis studio, & optimus quisq; max. gloriâ ducitur, ut Latianis eloquii parens Tullius; atque, ut eminentiss. augustæ historiæ scriptor Tacitus ait, etiam sapientibus cupido gloria novissimè exsultat. Ad gloriam autem non eadem omnes ejus Candidati viâ grassantur: sed diversis planè, immò adversis contendunt itineribus. Sunt enim, qui magnum & audax facinus & supra vires designando iter aternitatis & famæ sese calcare posse putent: ut Phaethon olim

currus auriga paterni:

quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Alii, cum gloriosis eminere facinoribus non possint, malis inclarescere artibus, & flagitiis per gètes enotescere cogitant: ut Gigantes quondam, Deos de coelesti sede pellere conati: & monstrum illud hominis Herostratu: quem ferunt augustum, & inter mundi miracula relatum Dianæ Ephesiæ incendisse templum: ut nomen suum sceleris memoriâ propagaret. Quò alludens Hermocrates Sophista apud Diodorum Siculum Pausaniæ, vel, ut est apud Plutarchum, Callisthenes Hermolao interroganti, $\pi \acute{\omega} \nu \tau \omicron \varsigma \gamma \acute{\epsilon} \nu \omicron \iota \tau \omicron \iota \delta \iota \mu \phi \alpha \nu \acute{\epsilon} \sigma \tau \epsilon \tau \omicron$, quonam pacto quis clariss. evadere, & celebritatem sermonis hominum consequi posset, respondit: Si virum clarissimum, aut res maximas gerentem interficeret. Simul enim ejus, cui vita per vim erepta esset, mentio fiat: ipsius quoque interfectoris fieri oportere mentionem. Reperire quoque est

homines,

homines, qui in altiore splendoris ac dignitatis locum per alterius
 incommodum & ruinam adscendere, & aliorum obreptatione nomi-
 nis sui laudem exadificare, aut alienae derogando famae, quod san-
 guinarium est, scientiam in se profundiore probare hominibus sa-
 tagant: etiamsi nocturnis oculis nunquam non caligare vel in clarissi-
 ma luce pernoscantur. Nec desunt, qui existimationem & famam i-
 gnavia consecuti sint: quorum in numero Petronius ille adversipes:
cui, ut Taciti verbis utar, dies per somnum, nox officiis & oblectamentis
vita transigebatur: utq; alios industria, ita hunc ignavia ad famam protu-
lerat. Sunt plures alii ad celebritatem nominis perveniendi ab homi-
 nibus usurpati modi: sed, ut ad compendium verba conferam, & legi-
 timos modos ab illegitimis, honestos a turpibus discriminem, *duae*
sunt potissimum res, quae locare hominem in altissimo possunt dignitatis
gradu: rei militaris scientia, & juris civilis prudentia. Cum enim ho-
 nores sint meritorum dotes: &, ut Aristoteles scripsit, *σημεῖα δόξης*
ἐυεργετικῆς, signa opinionionis dati & accepti beneficii: atque in pri-
 mis honorentur, qui de aliis bene vel meriti jam sunt, vel mereri pos-
 sunt: utique duae illae res, quas dixi, de civili societate & genere huma-
 no, utroque reipub. tempore, bellorum & pacis, optimè merentur: re-
 ctè ut Justin. *summam reipub. tuitionem de stirpe duarum rerum istarum*
venire scripserit. Illius enim praesidio belli pericula repelluntur: istius
 subsidio pacis ornamenta retinentur: illa status publici columen, per-
 duellionis fulmen, hostilitatis securis; ista publica patrona, oraculum
 civitatis, & justae iniustae regula est: illa gladiis, clypeis atq; thoraci-
 bus, aut hostes propulsatum, aut res ab hostibus justè repetitum it:
 ista gloriose vocis confisa munimine laborantium spem, vitam &
 posteros defendit. Ultra autem alteri praestet: & an forum castris, o-
 tium militiae, stilus gladio cedat: an contra sit

*Marte Themista prior, calamus victricibus
 armis,*

in controversiam quidem vocari solet: sed viris culmine militari con-
 spicuis, ut magnus quidam in literis vir loquitur, non immeritò prima
 à Regibus tribuuntur: & exquisitè voluntate à Sapientibus concedun-
 tur: ut contra ex illis, qui sapiunt, Sapientiae palmam non negant: quam

ipsi quoque Reges animo prout adorant. Leo certe & Anthemius A. A. ad
vocos, qui ambigua causarum fata dirimunt, suarumque defensionis viribus
in rebus sepe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non
minus providere humano generi, imperioque militare suo rescripserunt:
quam si praelis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Et ante
illos Romani juris conditor Justinianus leges armorum, arma legum
auxilio semper egere: & tam rem militarem legibus in tuto collocari;
quod ipsas leges armorum praesidio servatas esse affirmat. Proinde generosa,
& omni favore, ut Attica loquitur Musa, digna sunt illorum ingenia:
qui in Themidis & sacratissimarum legum studia incumbunt, & ad
magisteria Palatina adspirant: maxime quidem studio juvandi rem-
pub. Christianam, eamque in partibus sibi aliquando credendis gu-
bernandi; tum vero etiam nominis cum immortalitate conjungen-
di cupiditate incensi: ut ita & sibi honori, & amicis utilitati, & rei-
pub. emolumento esse possint. Hujusmodi ingeniorum hoc anno
felicior per Dei gratiam proventus apud nos fuit: dum praeter qua-
tuor illos doctrinae & virtutis gloriae florentissimos viros, quibus
III. Non. Junii Principali auctoritate, nostram manu Doctoralem
tiam imposuimus; unum item literis & moribus praestantiss. quem
Clariss. & Consultiss. DN. D. JOANNES NEANDER, Ordinis
nostri Decanus p. t. Spectatiss. & Collega noster honorandus a. d.
IV. Kal. Aug. U. J. Doctorem renunciavit, duo jam alii praesto sunt
viri egregii: qui profectuum in juris studio adeptorum, quorum
eximia cum in privatam *συστήσιν*, tum in publicam *Δεγεβή* a. d. III.
Eid. April. specimina dedere, testimonium ab Ampliss. nostro
Ordine petierunt: ejusque consequendi spem non prece, aut pretio,
sed propriae virtutis & doctrinae merito obtinuerunt. Omnes isti
pluribus procul dubio faces subdent, & ut in eodem sapientiae civilis
circo ad palmam citato pede currant, stimulos quasi suppungent.
Valet enim etiam in studiis legalibus, quod in ceteris artibus: ut
scilicet honore & praemiis alantur: & è diverso, ut honos illorum
inhonoris fatiscat. Scriptum quidem à Leone Pontifice novimus,
honorem sui numerositate vilescere: sed iidem non ignoramus, langue-
scere hominum industriam, nec ad ardorem honesti facile accen-
di, nisi ad virtutum igniculos excitandos quasi folles adhibeantur
publicae

publicæ honorum collationes: ideoque Romæ Honori ac Virtuti o-
lim gemellas junctim locatas fuisse ædes: ut nempe inter omnes con-
flaret, *ibi esse premia honoris, ubi sint merita virtutis & doctrine.* Utra-
que hæc in elegantiss. & modestissimi ingenii viro, *DN. SEBASTIA-
NO ROBERO*, qui inter Candidatos hoc tempore priorem tenet lo-
cum, eximia est: ad quam eum non *euφύια* solum & indoles bona, cu-
jus in ipso vultu signa videre est, incitavit: sed domestica etiam paren-
tum inflammaverunt exempla. In Ephesiorum literis erat inter alia præ-
ceptum: quod jubebat quotidie recordari alicujus, qui virtutum bonâ
fide secutus esset, & seriò coluisset: utile sanè illud: quia & imagines,
quibus in magnorum virorum memoriam redimus, Seneca *incita-
menta animi* vocat: & in atriis collocata scribit, ut qui has intuerentur,
illis animus ad virtutum accenderetur. Crevit profectò in Dn. Roberi
pectore flamma, surrexit spiritus memoriâ honorum, cum ab avo ma-
terno sibi cognomine, *DN. SEBASTIANO GERSTMANNO*, Scavo-
lâ quondam nostro & Aristide, hoc est, sapientiæ oraculo, & justiciæ
asylo; tum à Patre *ELIA ROBERO* U. J. Doctore & Professore cele-
berrimo, sed quem Deus maturius eripuit, optimum avo pessimo;
tum denique, ut propinquos & adfines magno numero præteream,
à Dn. *MATTHIA POLENIO*, naturâ quidem vitrico, sed adfecta
verè Patre & Educatore, nuper academiæ nostræ in ordinariâ juris
professione ornamento singulari, nunc inter Nestores, qui Serenissi-
mo Electori nostro Brandeburgico ab interioribus consiliis sunt, non
ultimo, partorum, rerumque ab iisdem præclarè gestarum. Neque ve-
rò prius aut flamma illa sedata, aut spiritus satiatus fuit: quam titulum
in utroque jure eundem cum dignitate obtinendi spem sibi factam vi-
dit: & famam atque gloriam eorundem adæquandi rationem reperit.
Hinc adeò post jacta pietatis & primarum artium, Suidnicii Silesio-
rum, & Gorlicii Lusatorum fundamenta, academiâ patriam repe-
tiit: in eaque primùm elegantioris literaturæ & philosophiæ Antisti-
tes sedulò audivit: & doctrinam ab iis haut quaquâ ex trivio, sed inte-
riorem hausit: jurisque ac legum scientiæ initia didicit. Quod à nobis
dici nemo mirabitur: qui Zaleucum legerit & Charondam non in
foro, nec in consultorum atrio, sed in Pythagoræ tacito illo sancto-
que secessu jura dedicisse: quæ florenti tum Sicilia, & per Italiam Græ-

ciæ ponerent. Ex porticu Philosophorum & Oratorum in palatium,
transiit Jureconsultorum: & cum Professoribus P. P., *D. Mattheo Cu-*
noni, Ordinario, D. Martino Benckendorffio, cæterisque diligentem ope-
ram dedit: tum in privatis collegiis sub *Henningo Zabelo, & Jacobo*
Schönhausen, J. U. jam Doctoribus, rudimenta legalis scientiæ depofu-
it: nec contentus intra privatos parietes studia sua continere, in publi-
cam palæstram descendens semel de difficili usucapionum materiâ;
iterum de successione ab intestato sub *D. Joannis Hensleri*, Consilia-
rii Electoralis Brandenburgici præsidio, non sine applausu respondit.
Maximam verò eruditionis suæ partem *Amplis. Dn. Polenio* fert acce-
ptam: cui ab ineunte ætate, quam majorum prudentiâ confovendam,
statu minandamque esse noverat, ita inhæsit: ut ei velut ridenti firmiori
inniteretur: quem aliquando spes est fore ut nõ secus exprimat, quam
Zenonem Cleanthes: quippe eum non tantum audit; sed etiam vitæ
ejus interfuit, secreta perspexit, & ex formulâ legum jus docentem ob-
servavit. A peregrinationibus, quib. nulla magis dedita quam Germa-
norum natio, alibi nescio, quas beatorum insulas aut vellus aureum,
quæritans, eum non voluntas revocavit: sed valetudinis tenuitas, & su-
periorum, foris, quod domi affatim suppetat, cum animæ corporisque
periculo petere disfluadentium auctoritas, & Martialium horum tem-
porum difficultas. Interim peregrinatione, quam Seneca omnium pul-
cerrimam vocat; usus est: ivitque ad præcos illos & magnos viros Ul-
pianum, Paullum, Papinianum, alios: etiam platonem, Aristotelem:
quorum nemo venientem ad se doctiorem melioremque non dimisit:
nemo illum vacuis à se manib. abire passus est. Quo effectum, ut trun-
cum sibi comparaverit fortitudinis, corticem veritatis, medullam æ-
quitatis, frondes humilitatis, folia sagacitatis, flores honestatis, fructus
bonæ operationis. Iisdem initiatus studiis fuit, & per eadem ivit vesti-
gia, *Dn. IOACHIMIS KETTEL BUTER*, vir præstantissimus: qui ex
scholâ patriâ in Regis montanam, ex hac in celebratissimū Torunii Bo-
russorum gymnasium à Parentibus ablegatus ubique græcæ & latinæ
linguæ atque artium imprimis logicarum; Toruniæ etiam juris funda-
menta ardenti studio posuit, ductu & auspicio *CL. viri, Dn. Joannis*
Ekhardi, reipub. Syndici, juxtaque Institutionum Imperialium Profes-
soris solertissimi. Fundamento ita posito Regium montem in Borus-
sia &

fiâ, & emporio celeberrimo, & gymnasio publico seu academiâ floren-
tissimum, cum *Wolpargo de Grabow*, Nobili Pomerano, disciplinæ
& fidei suæ credito salutavit: ibique pedem figens Doctores Eloquen-
tiæ & Jurisprudentiæ frequenter adiit: non tam per diversas eorum
domos meritoriam salutationem circumferens, quàm ex familiari eo-
rundem consuetudine legalis atq; civilis scientiæ nõ contemnendam
sibi supellectilem comparans. Anno, & quod excurrit, præterlapso do-
mum cum Nobili suo revocatus, aliquandiu ejus institutioni vacavit:
sed ante quinquennium in hanc academiâ venit: & cum ethicæ ac
politiciæ doctrinæ studio juris civilis studium conjunxit, gnæviterque
ursit: ac publicè quidem Consultis. juris Antecessoribus auscultavit:
privatim verò Mihi Institutiones & Pandectas tum *æ præda* explican-
ti, tum dissertationibus illustranti, & selectas Treutleri disputationes,
Hunnii resolutionibus, & Bachovii notis atque animadversionibus
nobilitatas, in diribitorio juridico recensenti operam dedit: ac me
Præsidente de transactionibus publicè disputavit. Et quia vetus ac ve-
rum verbum est, & ab ipso Abbate Panormitano usurpatum:

Discere si cupias, doceas: sic namque doceris:

periclitari & ipse vires suas in docendo cæpit: & superiore anno pri-
vatum collegium habuit: Jurisque Institutiones, quâ legendo, quâ dis-
putando, magno cum studiorum suorum legalium excoluit incre-
mento, Quæ ut majore cum auctoritate in publicum proferret, & ta-
lentum sibi à cœlesti Patrefamilias creditum rectius collocaret: fidu-
ciam studiorum habens, nomen suum unâ cum *CL. Dn. Robero*, cu-
jus soror germana, quod auspiciatò fiat, eodem die ipsi ad aram copu-
labitur, quo doctoralis laurea capiti circumponetur, apud me tum
temporis Decanum professus est: utrique post edita, ut diximus, præ-
clara doctrinæ legalis specimina de summo honoris gradu in jure cõ-
ferendo promissum factum. Quod cum exsolvere crastinâ die Ampliss.
noster Ordo constituerit: eamque ad rem peragendam à Sereniss. Ele-
ctore Brandenburgico, Domino nostro clementissimo, cui multi an-
ni, magnæ gratiæ, auctoritatem impetraverit: & mihi partes Agono-
thetæ ac Brabeutæ demandarit: equidem amanter omnium academiæ
nostræ ordinum cives invito & oro: ut modò dictâ die post horam
duodecimam pomeridianam in æde sacrâ majore conveniant: & re-

nun-

nunciationi honorum cum piâ ad Deum, pro felici illorum successu,
apprecatione intersint: eademque operâ Deo legum auctori cultum,
Ordini nostro observantiam, Dnn. Candidatis benivolentiam decla-
rent suam. Quod reliquum est Patrem nostrum, qui est in cœlis, sup-
plices veneramus: ut inter armorum ubique grassantium fulmina, ver-
bi sui & sacrarum legum vocem nos exaudire; & sub viridis. ac paten-
tissimæ *Electoralis Brandenburgica arboris*, ramos foliis virentes, floribus
vernantes, fructu onustos habentis, umbrâ & pace, quæ εὐνοίας, fœ-
tus, diutis. florere sinat: & postquam satis diu bellator ille Deus in
vastis. mortario suo urbes hominesque crebris duri pistilli ictibus
contrivit, tandem non per claudum fabrum Vulcanum, sed per Chri-
stum, qui Fabri filus olim credebatur, cum esset Dei, misellis homi-
nibus recreandis Pacis amicitiaque veluti ferruminationem & con-
solidationem clementer proponat. B.V.

M. C. N.

Ja 666



ULB Halle 3
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.


5b-700

Von 7

MC







Farbkarte #13

B.I.G.



25
C.O.

R I N Æ

C U S

S,
Publicus.

Ordinis Vice-
Diribitor
rin
virtute,

R Ö B E R O

TELBUTER,
I,
C I S
reâ ornandis

ia civibus indicit
s
I.

ANIS.

